



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 66. Concordati Decretum de caassis

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](#)

## §. LXVI.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1518.*Concordati Decretum de cauſis.*

Posthæc Cancellarius ad Decretum *de cauſis* <sup>Piaſſon. hift.</sup> progreditur, Parlamentum, in- <sup>Pragm. &</sup> quit, de decreto duabus additionibus re- <sup>Conc. p. 744.</sup> stricto conqueritur; quarum prima ad <sup>col. I.</sup> cauſas majores Romæ dijudicandas, al-  
 tera ad Cardinales & Curiæ Romanæ Offi-  
 ciales spectat, id ipsum vero Pragmati-  
 cæ decisioni consonum esse Parlamentum  
 fatetur, addit tamen, hujus juris usum  
 haud vigere, cui tamen, inquiebat Can-  
 cellarius, respondeo, perfectiorem ordi-  
 nem a Concordato suisse stabilitum, cer-  
 tumque esse, quod summus Pontifex  
 in nulla Christiani Orbis parte hac pote-  
 state in rebus spiritualibus utatur, sitque  
 Principibus integrum, cauſas civiles ad  
 suum tribunal evocare, & de iis per  
 se vel per suos delegatos cognoscere. I-  
 pse quoque Pontifex ante Basileense Con-  
 cilium hoc jure utebatur, atque cauſæ,  
 regnique lites ad Romanam Curiam de-  
 ferebantur, ad eandem quoque appellata-  
 batur in omnibus cauſis Provinciarum,  
 tunc Gallicæ Monarchiæ subjectarum,  
 uti sunt Britannia, Provincia, Status Me-  
 diolanensis, Genuensis & Comitatus A-  
 stensis. Evidem post Basileensis Syno-  
 dii decretum, cauſæ Ecclesiasticæ in Re-

Y 5 gno

**Sæcul. XVI.** gno decidebantur, eodemque jure cete-  
**A. C. 1518.** ræ etiam Nationes uti potuissent, quæ

tamen potius Ecclesiæ Capitiunitæ, quam schismatis reæ videri maluerunt. Inde autem inferre primum est, Concordati disciplinam in hoc punto Pragmaticæ Sanctioni consonam, & ab illa ad verbum desumptam esse: inepte vero ingeritur, Decretum de cauſis non fuisse receptum, nisi quantum ad restrictum numerum Cardinalium, & Romanæ Curiae Officialium; hic enim articulus ad Decretum minime pertinet; quod vero, pergit Can-

*Cap. Majores* cellarius cauſas meiores in jure expressas  
1. quæſt. 1. spectat, quis non ex ipſo glossæ textu  
cap. 1. de manifeste perspicit, nonniſi Episcoporum  
transl. Epis. cauſas comprehendit? & quamvis de iis  
expressa non fiat mentio, nonne mentem  
Magistri ex lege, quam citat, interpretari oportet? Jam vero hæc glossa non  
niſi de Translationibus Episcoporum, non  
de aliis cauſis, quæ eas respiciunt, diffe-  
rit. Præterea Episcopos transferendi  
potestas semper summis Pontificibus ex  
avito jure competebat, quin unquam ta-  
men inde illatum fuſſet, ceteras quo-  
que cauſas ad illius forum, atque juris-  
dictionem pertinere; hanc in rem Can-  
cellarins plura protulit exempla; quia ve-  
ro Parlamentum objiciebat, cauſarum  
cognitiones ab exteris Cardinalibus, &  
Curiae Apostolicæ Officialibus Romam  
attrahi,

attrahi, ad hoc æque ac ad id, quod ~~secul.~~ XVI.  
de beneficiis in Curia vacantibus Parla- A.C. 1518.  
mentum ingessit, respondit Cancellarius,  
quod in hoc articulo, Concordatum San-  
ctioni Pragmaticæ consonet, eo fortiori  
argumento, cum illud adhuc ampliorem  
Regni procuret utilitatem, eoque Pon-  
tifex vigente Pragmatica, de Beneficiis  
quocunque casu vacantibus providendi  
jus habuisset, nunc vero illud ex Con-  
cordati præscripto nonnisi interveniente  
beneficiarii obitu exercere possit: dantur  
equidem, inquietabat Cancellarius, benefi-  
cia vere *electiva*, nimirum ea, quæ, Ec-  
clesia suo Pastore orbata vacant, in quo-  
rum collatione norma in capitulo *Quapropter, de electionibus præscripta servatur;*  
ad ejusmodi tamen beneficia nominan-  
di jus ipsi quoque Regi competit, exce-  
ptis solis Ecclesiis, quæ speciali electionis  
privilegio gaudent.

In ceterorum autem beneficiorum  
collatione varia observatur forma, vel  
*institutionis*, quando beneficium prævia  
cujusdam Clerici præsentatione conce-  
ditur, vel servatur modus *electionis*, ubi li-  
bere, seu nulla præcedente nominatione  
vel præsentatione consertur. Denique  
alii itidem vocatur *collatio*, qua quis be-  
neficium per suffragia eligentium acce-  
dente eorumdem nominatione obtinet.

Aft

**Sæc. XVI.** Ast in cunctis hisce eventibus summus  
**A.C. 1518.** Pontifex ex jure communi etiam post  
 Basileense Concilium Collatorem Ordina-  
 rium prævenire potest. Addendum quo-  
 que, quod ea, quæ circa Religiosorum  
 monasteria in Concordato leguntur, mi-  
 nime ad sacras Virgines extendantur: nor-  
 ma vero Ecclesiæ providendi, juris sit po-  
 sitivi, cum id ipsum variis hujus discipli-  
 nae variationibus temporis progressu in-  
 tructis comprobetur. Denique Can-  
 cellarius differens de potestate Pontifi-  
 cis, qua nonnullis nominandi facultatem  
 concedere, aliis adimere valet, plures  
 Juris Pontificii peritorum sententias de  
 summi Pontificis potestate in Ecclesiam  
 allegat, contenditque, Papam Synodo  
 superiorem esse in iis, quæ nec fidem,  
 nec schismatis extirpationem, nec Eccle-  
 siæ reformationem in Capite & membris  
 respiciunt; his subjungit, quod ea, quæ  
 ab uno Concilio sunt stabilita, ab alio a-  
 boleri, aut mutari possint. Tandem con-  
 cludit dicens, quod Pontifex quoque in  
 Italia, Hispania, Anglia, Scotia, ac po-  
 tissima Germaniæ parte beneficia confe-  
 rat, ac Ludovicus XII, & Franciscus I.  
 Lateranense Concilium velut legitimum  
 venerati sint.

**§. LXVII.**